Leonardus dei gratia Electus Curien(sis) Dilecto nobis in xpo Ulrico Tusalt de Uiste
nouo Rectori parrochialis Ecclesie sancti Petri in Zutzers nostre Curien(sis) dioc(esis) Capellano nostro Salutem et sinceram in domino caritatem Exacta familiaritatis obsequia
vite et morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita Nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales Cum itaque predicta Ecclesia sancti Petri
in Zutzers per mortem quondam Ulrici Putzer ultimi illius dum viueret rectoris in ea instituti vacauerit et vacet ad presens Nos volentes tibi premissorum tuorum
intuitu meritorum gratiam in hac parte facere specialem Ecclesiam predictam cui Cura imminet animarum sic premisso siue alioquouis modo aut ex alterius cuiuscumque
persona vacet Cum iuris Canonici plenitudine ac omnibus iuribus et pertinentiis suis ordinaria nostra tibi conferimus auctoritate Et de illa etiam prouidemus teque coram
nobis flexis genibus debite constitutum humiliter petentem et acceptantem per impositionem bireti graciose inuestientes de eadem Illi prefecimus in Rectorem
Curam animarum parrochianorum Ac regimen et administrationem ipsius Ecclesie et bonorum eius in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo
prestito prius te coram nobis proprio iuramento in manibus nostris quod nobis et Capitulo nostro Curien(si) nostrisque successoribus Canonice intrantibus ab hac hora inantea fidel-
eris et obediens prout de iure teneris Et quod iura iurisdictiones et bona dicti beneficii mobilia et immobilia defendes et manutenebis contra quoslibet vsur-
patores saluo ordine tuo et ea contra iuris dispositionem non alienabis nec obligabis sed alienata et obligata pro tuo posse diligenter recuperabis Quo
circa ut hec nostra prouisio debitum sortiatur effectum Committimus presentes et mandamus te per eum ad quem pertinet in corporalem dicti beneficii iuriumque
et pertinentiarum eius possessionem cum dicti iuris plenitudine induci et poni Et per quoscumque ad quos spectat de vniuersis fructibus redditibus prouentibus
iuribus et obuentionibus dicte ecclesie tibi Ulrico Tusalt tanquam vero eius Rectori integraliter responderi debere In quorum testimonium has presentes literas fieri
mandauimus Nostrique secreti iussimus appensione roborari Datum Curie in palatio nostro Episcopali Anno domini Millesimo Quadringentesimo Quinqua-
gesimo Sexto Indictione quarta Die vero Sabbati quartadecima mensis February Pontificatus sanctissimi in xpo patris et domini nostri domini Calisti diuina prouidentia pape Tercii
Anno Primo

1456

© Bischöfliches Archiv Chur (Schweiz)